

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXIX. De probatione per scripturas privatas, earumdemque
scripturarum recognitione, ac de recognoscendi modis; Ac etiam de
probatione per sigillum, vel typum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

- 36 Nisi ea præsente fiat; Vel nisi agatur ad solum effectum docendi de interesse pro admissione ad causam. *Gregor.* & add. dec. 209. *Buratt.* dec. 134. *Vest.* lib. 6. cap. 1. & lib. 5. cap. 2. *Rovit-pragm.* 26. de officio S. R. Conf.
- 37 Producta in uno judicio, non præjudicant in alio etiam inter easdem partes, minusque profundunt, nisi reproducantur vel repeatantur. *Buratt.* & add. dec. 94. Quæstione cadente, ubi idem sit judicium, sed mutetur judex. *decif.* 209. post *Zacch.* de obt. *Cam.*
- Generalis item productio omnium iurium & scripturarum non sufficit ut potè nimis vaga. *Buratt.* dec. 134.
- 38 Minuque assertio productionis, nisi de illo-
rum tenore constet; Solumque ea aliquod præ-
stare potest administricum, cum aliis coniungendis. *Manic.* *decif.* 352.

De probatione per scripturas privatas,
earumdemque scripturarum recognoscendi modis;
Ac etiam de probatione per sigillum, vel typum.

S V M M A R I V M

- 1 **D**e duplice effectu istius probationis, in præjudici-
um scilicet scribentis, & tertii.
- 2 Quando scriptura non probat contra scri-
bentem, multo minus contra tertium.
- 3 Quod ad principalem nil refert, an ad sit tempus, vel te-
sies &c.
- 4 Nihil autem refert quoad tertium, & de ratione.
- 5 Habens scripturam privatam anteriorem, non vincet
instrumentum publicum posterius nisi trino teste mu-
nit a sis.
- 6 De opinione volentium, ut id sit de forma præcisâ, &
non sufficiat equipollens.
- 7 Quod probabilitas sit, ut admittatur equipollens, &
de ratione.
- 8 Quomodo adesse dicatur equipollens.
- 9 De partibus, quæ in iudice concurrere debent, & qua-
re.
- 10 Ad quid adverti debeat pro dicto equipollente imple-
mento. & quomodo si enim simul veritas cum falsitate.
- 11 Idem est habere instrumentum publicum, ac alium
documentum, vel probationem certam ad hunc effe-
ctum.
- 12 An intret distinctio summa, quod scriptura privata
excedat, vel non excedat libram aurum.
- 13 Quod in nobili, & Magnate est modicum, in paupe-
re, & populari est multum &c.
- 14 An ista lex de qua num. 5. procedat in quocumque
alio casu in quo intret eadem ratio.
- 15 Quod facilius, vel mitius procedatur cum conten-
dente de liberatione.
- 16 Quod materia non sit capax regula generalis.
- 17 Quis sit tertius, quibus minus scriptura privata præ-
judicet.
- 18 De suspicione antidote in beneficialibus.
- 19 Quenam questiones cadant, respectu principalis de-
bitorum.
- 20 De regula quod scriptura probet contra scribentem.
- 21 De ampliatione, & quod sola subscriptio sufficiat.
- 22 Etiam si corpus scripturæ sit manu alterius partis.
- 23 Subscriptio restringit, seu qualificat scripturam.
- 24 An sola scriptura sine subscriptione sufficiat.

- 25 Regula de qua numer. 20. procedit etiam in episto-
lis familiaribus, seu literis missivis.
- 26 De duplice modo impugnandi scripturam.
- 27 De materia subscriptionis, que afferatur facta in fo-
lio albo.
- 28 In hac materia non cadunt exceptiones doli, vel me-
tus, aut falsi presuppositi.
- 29 De materia recognitionis, & de præxi Auditoris Ca-
mera recognitionis facta in continuacionem.
- 30 Quod id non practicetur in Rot. a.
- 31 Quod in hoc non cadat certa regula, sed debet de-
ferri stylis.
- 32 An heres teneatur recognoscere manum ejus auto-
ris defuncti.
- 33 De scripturis privatis testatorum, & ultimarum vo-
luntatum.
- 34 De pluribus modis recognitionis.
- 35 Quare isti modi non examinentur, & quod debet
deferrri stylis.
- 36 De distinctione inter scripturas, in quibus adhiberi so-
lent testes, vel non.
- 37 De stylo Curia attendendi in distincione recognitionem
per testes habentes notam manum, etiam in schedulis
testamentariis.
- 38 Quod ista dicatur probatio semiplena, quod decla-
ratur &c.
- 39 De eodem, & qua regula de super cadat.
- 40 De recognitione per senestrellas, aut inter plures, &
individuatione peritorum.
- 41 Modus scribendi ex tempore variatur.
- 42 An scriptura antiqua iudice at recognitione.
- 43 Quoniam de materia de iudiicio debet.
- 44 De recognitionis retroractione.
- 45 De aliis ad materiam.
- 46 Scriptura memoria causa non probat contra scri-
bentem.
- 47 De probatione per sigillum, vel typum,

D I S C . XXIX.

Ad duplicem effectum, disputari solet de
probatione, ac etiam de actione, quæ resul-
terat a scriptura privata; Primo nempe, con-
tra ipsum scribentem, ejusque haeredes, vel alios
qui dependent ab eo causam habeant, ut quid-
quid ipsi scribenti obstatet, obstat etiam aliis,
ut potè ejus personam representantibus; Et se-
condo, circa præjudicium tertii, non solum ubi
sit tertius, qui veniat iure suo independenter à
scribente, ut est (ex gr.) successor fideicomis-
si, vel feudi, seu beneficii cum similibus; Sed eti-
am ubi sit tertius, quicquam habeat ab ipso scri-
bente, quem agnoscat in auctorem, sed causa sit
necessaria, & talis, quod ejusdem auctoris fa-
ctum posterius, ei præjudicare non valeat, mi-
nusque suum jus tollere, ut ex gr. iest creditor
vel emptor, seu cessionarius, aut etiam donata-
rius inter vivos, cum similibus.

Ad istum itaque secundum effectum, proba-
tionis scilicet præjudiciale tertio, per scriptu-
ram privatam alterius; Illa in primis statuenda
est regula generalis, & certa, ut de scripturæ ve-
ritate, ac validitate in primis ita constare debeat,
quod illa sufficientem faciat probationem cō-
tra ipsum scribentem, vel ejus haeredem, aut al-
terum successorem dependentem, ut supra, qui
ejus personam representet, quoniam si non pro-
baret contra ipsum principalem, sine dubio
non probabit contra tertium; Ad instar eorum,
quæ habentur ad materiam dotis confessatae,
quod

quod scilicet recte intrat argumentum à confitente ad tertium negative, id est; Non probat contra confitentem velejus hæredem, ergo multò minus contra tertium, non autem affirmative, quoniam stant bene simul, quod probet contra confitentem, & tamen sufficientem non faciat probationem contra tertium. *tit. de dote disc. 159. & sepius.* Ita in præsenti, quoniam, ubi scriptura privata sit vera, tam de jure quam de facto, quia scilicet sit scripta vel subscripta per eum de cuius præjudicio agitur, neque eidem scribenti legitima competit exceptio, quæ resulteret à defectu solemnitatum, vel à defectu intentionis, ratione erroris, vel metus, aut dolii, seu falsi præsuppositi &c. ut infra; Et tunc nihil refert, an habeat necne testes, aliave adminicula; Minusque refert an habeat diem; Sive ista alterata sit, cum antidata, vel postdata, cum hujusmodi circumstantiæ sint quidem considerables, in ordine ad dictos defectus, quos adeste prætendatur, sed hoc circumscripto, in nulla consideratione habentur.

3 Secùs autem est in tertio, ob suspicionem, quam lex rationabiliter habet, antidata, vel alterius collisionis, ut tertio prædicetur; idque non solum, ob nimiam facilitatem, sed etiam ob frequentiam, quam experientia docuit & docet; Perdit enim homines, qui tam propria, quam aliena dissipare curant, postquam debita contrarerunt, vel corum bona alienarunt, aut iura cesserunt; Ut pro continuatione consuetudinis dissipandi, sive etiam ut occurrant necessitatibus, in quibus cum eorum imprudentiis constituti sint, nimium faciles, inò studiosi esse solent in antidisputatis, alisque collisionibus, cum quibus eis allicerè concedatur perlonas, ut sibi credant pecunias, in superfluationem eorum, qui alias jam dissipatas, & consumptas ipsis tradiderunt, & quos habere, ac tractare, satagunt, tanquam inimicos.

4 Agendo itaque de hoc secundo effectu; Jus novum, ad hujusmodi suspicionem tollendam, statuit, ut creditores, vel alii, qui scriptura privata innaturè præsupposita ejus veritate ac sufficienti recognitione, adhuc tamen concursum prætendere non valeant cum iis, qui fundent eorum jus vel intentionem in instrumento publico posteriori, nisi scriptura privata anterior, munita sit subscriptione trium testium, idonear, ac integræ fidei. *I. scripturas Cod. qui potior in pignor. hab.*

Super hujus autem legis intelligentia, vel præxi, Scribentes, & præsertim antiquiores, nimium se involuisse videntur, dum plerique, ex improbo genere illorum, qui sunt servi literæ legis, cum regulis, ac significationibus grammaticalibus potius procedentes, crediderunt, ut ista sit forma præcisa, quæ non admittat æquipollens, ex parte illius, qui scripturam privatam anteriorē rem habeat, quod scilicet minor testium numerus non sufficiat; quamvis aliae probationis species accedant, quæ æquipollent, etiam in excessu; Quinimo, ubi etiam testium numerus impletatur, adhuc tamen eorum qualitatem critican, an scilicet sufficienti minores, vel impubes, aut alii, qui non omnino idonei, ac omni exceptione majores dici valeant, longas defuper retexendo quæstiones similitudinarias illis, quæ habentur super testibus testamentariis.

Sive è converso, ut ille posterior, in cuius *Carta de Luca de judicio & judicialibus.*

gratiam ista lex prodiit, munitus esse debeat instrumento publico, super cuius probanti, vel solemini forma pariter disputationes habentur, unde propreterea alia certitudo sufficere non debeat,

Probabilior autem, atque apud Modernos, magis communis, & in Tribunalibus magis recepta est diversa opinio, ut scilicet, non formalitas verborum legis, attendi debeat, sed substantia finis, vel effectus, ob quem ipsa edita est; Ex eo certo principio, quod Iudices præ oculis semper, ac principaliter habere debent, quod scilicet lex imposta non est verbis, sed rebus, ut iidem legislatores protestati sunt. *lib. fin. Cod. de usit.* Unde propterea, opus non sit implere hanc formam specificam, seu præcisam, sed sufficiat æquipollens ex parte utriusque; Ex parte scilicet ejus, qui anterioritatem delumat ex privata scriptura, ut nihil referat, an minorem numerum testium habeat, quinimò nullum; Sive an ii, quos habet, sint, necne idonei, si aliunde veritas patet, etiam per adminicula, & per imperfectas probationes, quorum tamen conjunctio de jure detur, ad eum impletatur finis, vel ratio legis, ut scilicet habeatur certitudo temporis, ita & taliter, quod sublata remaneat illa suspicio antidata, quam lex habet, cum eadem lex contra habentem scripturam privatam, etiam induxit præsumptionem, quæ juris tantum est, contraria probatione etiam præsumpta elidibilis. *tit. de credito disc. 2.2. & 3.3. & in aliis.*

8 Et per consequens id certam, ac generalem non recipit regulam, cuicunque casui applicabilem, eodem modo quo frequenter, tam in actibus inter vivos, quam per ultimam voluntatem, in hac materia præsumpta seu conjecturalis probationis insinuatam est, ac etiam infra ius in sua particulari sede advertitur, quod scilicet totum pendet ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus pro personarum, aliarumque contingentiarum qualitate, aliquæ conjecturæ, vel species probationis, in uno casu sufficienti, in altero autem, eadem, ac aliæ longè majores sint insufficientes. *infra disc. 3.3.*

Hinc proinde in Iudice, non solum juris scientiæ, sed etiam prudentiæ, beneque adæquatæ judicij dores, cum integritate, ac rerum mundi experientia, desiderantur, ut ita recte interponere valeat, beneque regulare ejus arbitrium, cui totum remissum est; Ad illud præsertim, ac principaliter reflectendo, ut adminicula, aliaque argumenta, ex quibus istud æquipollens resulat, non percutiant veritatem scripturæ in genere, sed percutiant veritatem datæ, seu temporis, in quo consistit substantia; Istud autem æquum frequentius expertus sum, unde propterea, in casus contingentia pluries, non modicum labore pati oportuit, pro ejus elucidatione, & quandoque sufficiens non fuit, dum illi Iudices, qui solam scientiam habent per traditiones, vel addiscunt conclusiones in genere, absque alio discursu vel ratiocinio, super earum praxi vel applicatione, illas generaliter, seu parvissim in quocumque casu intelligunt, vel attendant, referendo Advocatorum subtilitatibus, & ratiociniis hujusmodi reflexiones, vel distinctiones; Siquidem stant bene simul, quod scriptura sit vera de facto, ac etiam munita adminiculis alisque certis probationibus veritatis crediti, vel

alterius causa obligatoria in ea contenta; Et tamen quod adsit antidata, vel alia præjudicialis collusio; Ut puta (ex. gr.) quod ille qui habeat creditum vel aliudius magis antiquum, nulla tamen hypotheca munitum, sed in sola actione personali, unde propterea, ex quadam, (Cirrationabili quidem) legis civilis subtilitate, postponendus veniat creditoribus hypothecariis posterioribus, qui totum debitoris alem verisimiliter absorperi sint, ita curet obtinere sui crediti, veri, & legitimi, scripturam privatam, qua contineat hypothecam, cum data anteriori, ut in praxi expertus sum. Sive quod in eadem scriptura, qua veram datam continet, superaddita sit hypotheca, qua prius negligēta esset cum similibus; Ideoque nil refert, quod veritas crediti in eo contenti aliunde justificetur, quoniam dari potest falsitas super vero, ratione alterativa qualitatis, seu accidentis, non autem ratione substantiae.

Prout è converso, nil refert, quod posterior qui scripturæ privatae anteriori se opponat, non habeat pro se instrumentum publicum, si tamen habeat æquipollentem probacionem certam; Puta per partitas banci publici, qua veræ, non autem collusivæ, seu (ut vulgo dicitur) passuore sint, vel per aliam similem speciem, qua publico instrumento æquipolleat, adeo ut intret eadem ratio, cuius substantia in hoc attendenda est, spectato (ut dictum est) fine, seu esse legis ibidem proximè.

Quare, confuetam leguleicam simplicitatem continent, aliquorum scriptorum ponderationes, quas in casu contingentia nimium existimari practicavi, cum non modico plausu eorum, qui singularium, ac individuarum doctrinarum cultores, hujusmodi frigiditatibus, ac ineptis principaliiter vacare solent; Ut scilicet hujus legis dispositio super trino teste, attendenda videatur, quando summa, qua in scriptura continetur, auri libram excedat, secus autem si infra, ut tunc duo testes sufficiere debeant. Gratian. dispens. 1. Ita etenim consideratio, majoris, vel minoris summae de qua agatur, congrua quidem est, ex ea ratione, qua præsertim in materia testatorum in sua sede insinuantur. sub tit. de testam. disc. 6. & 39. & in aliis, quod scilicet non de facilis falso vel machinatio pro modica utilitate praefundenda sit, ideoque ubi agatur de summa non valde considerabilis, non adeo exactæ, ac perfectæ probationes desiderari debeant, non autem, ut vis præcisæ consistat in summa, vel respectivæ in numero.

Et nihilominus, etiam ad dictum effectum attendendi minores probationes, ubi de non valde notabili summa agatur; Adhuc erroneum est, cum generalitatibus procedere, dum potius materia regulari debet, ex singulorum casuum circumstantiis, attenta scilicet qualitate locorum, & personarū, quoniam, ut nostri majores advertunt, illa summa, qua in Magnate & divite est modica, in populari vel paupere est magna. Duran. dec. 98. Buratt. & add. dec. 15. & sapientia alibi advertitur. Et consequenter non in omnibus idem statuendum est, sed pro singulorum casuum qualitate & circumstantiis, ad quod Judices advertere non solent, & tamen in hoc eorum partes principaliter consistunt.

Quamvis autem, dicta lex ita providerit, pro indemnitate creditorum, nec cum hujusmodi

collusivis antidatis supplantari valeant à debitoribus, ita præferre curantibus creditores, qui verè sint posteriores, unde propterea procedendo cum sola litera legis in aliis casibus, id prouisum non est; Attamen, dum (ut supra) magis receptum est, ut non in litera, sed in spiritu, seu in ratione attendat debeat lex, ut potè rebus potius, quam verbis imposita, exinde sequitur verius esse, ut idem dicendum sit in quocumque alio casu, in quo eadem intret ratio; Puta quod cessio, vel donato nomine debitoris, iste pulsatus à cessionario, docet per scripturam privatam de quietantia, vel de pacto de non petendo, aut de alia remissione vel declaratione, ad sui favorem facta per cedentem; Sive quod cessante concursu alterius creditoris, veniat ille, qui cum scriptura privata, qua obligationem cameralem continet, seu alias hypothecam habeat, cum data anteriori instrumento venditionis bonorum alteri facta, ut propterea iuper iis hypothecam anteriorem experiri valeat, cum in his, ac similibus casibus, eadem adamastim intret ratio supplanzationis tertii, cum ista collusiva antidata, de qua lex suspicatur.

Bene verum, quod pro facti, seu casu qualitate, diversimode arbitrium interponendum videtur, circa pondus æquipollentiae prædictæ, & an majora, vel minoria argumenta sufficiant, cum rigorius procedendum sit in casu creditoris, qui agendo veniat in exclusionem tertii, de quo propriæ lex loquitur, quam in altero casu debitoris cessi, qui de liberatione contendat; Siquidem primo casu magis imputandum est creditori cur sibi melius non caverit; In altero autem, pro frequentiori usu debitores non solent esse adeo solliciti de magis solemnibus cautelis, sed de simplici receptu seu quietantia privata, contenti esse, dum agitur de liberando, non autem de obligando, adeo ut ulteriore exequitioem positivam, vel alium tractum successivum, talis scriptura habitura non sit; Ac propterea, firmum remanere videtur id, quod supra insinuatum est, quod scilicet revera ista non sit questio juris, sed facti, ideoque incapax regulæ generalis cujuscumque casui applicabilis, cum totum penderat ex singulorum casuum particularibus circumstantiis.

Procedunt haec, quod illum tertium, qui inspecta origine, suum jus metiatur ab ipsomet debitor, de cuius scriptura agitur, adeo ut, quando sublata ista legis suspicione, scriptura justificetur vera etiam in tempore, tertio præjudicet; Multò vero magis ubi de illo tertio agatur, qui veniat jure suo independenter, juxta superiori exemplificatos casus, fideicommissarii, vel feudatarii, aut beneficiati, &c. Ut scilicet privata scriptura prædecessoris, contra successorem independentem probare non debeat, etiam in iis actibus, qui durante jure prædecessoris, legitimè fieri potuerunt, ob eamdem rationem, quod cum collusiva antidata fieri potuerit post tuum jus jam cessatum.

Hinc proinde apud Beneficialistas, idem receptum est, ubi scilicet agatur de illis provisoriis ordinariis, qua certo tempore fieri possent, in altero autem non; Puta (ex. gr.) in collatione beneficiorum vacantium in mensibus reservatis sede papali vacante, & qua per Pontificem noviter creatum, in crastinum suæ creationis reservari solent, quoniam ista reservatio,

non

non capitea, quæ per Ordinarium jam provisa sint, de tempore vacationis; Verum debet de veritate provisionis in tempore constare, alias quam per simplicem scripturam privatam, literarum Ordinarii collatoris, ob eamdem suspicione, cum similibus, quibus eadem congruaratio. tit. de benef. disc. 22. Et hæc quoad secundum effectum, juris, vel præjudicii tertii.

Quo verò ad primum effectum, præjudicii scilicet ipsius metropolitans, cuius est scriptura;

¹⁹ Cum vis non sit in tempore quoniam quod eum nil refert, an sit debitor hodie, vel cras; Idcirco quæstio non cadit in tempore, sed in substantia, an scilicet illa scriptura sit vera de facto? Et quatenus sit talis, an sit vera de jure, id est efficax ad obligandum, vel liberandum; Istaque posterior pars non percutit hanc materiam probationis, sed potius alteram efficacie.

Quatenus itaque pertinet, ad probationem; Posita veritate scripturae de facto, id est quod ea, scripta, vel subscripta sit per eum, contra quæ agendo, vel excipiendo deducatur; Regula est quod illa probet contra scribentem, patet ex inferius allegandis, & est absolutum. Idque non solum, ubi per ipsum, scripta, & subscripta sit, sed etiam ubi solum subscripta, quoniam subscriptio est illa, quæ animat, & informat scripturam, ut ea censeatur subscriptensis, perinde ac si tota per eum conscripta esset. Caval. dec. 199. & 133. Buratt. dec. 192. Duran. dec. 368. dec. 154. par. 7. rec. tit. de credit. disc. 81.

Idque adèò verum, ut idem resultet effectus, quamvis corpus scripturæ exaratum esset manu ejusdem, cuius favore cantet; Puta in scriptura obligatoria, manu ejusdem creditoris, dum subscriptio est illa, quæ animat, seu perficit.

Id autem sicuti præjudicat subscriptenti; Ita etiam prodest, quia nempe, si corpus scripturæ, majorē obligationis, vel liberationis, aut alterius præjudicii amplitudinem contineat, subscriptio autem aliquam habeat restrictionem, seu qualificationem, tunc ad limites subscriptionis, tota scriptura intelligenda est, neglecta amplitudine, quæ in ejus corpore contineatur. tit. de cred. disc. 65.

Si vero scriptura, nullam continet subscriptionem, imperfecta regulariter censetur, atque potius minuta, vel preparatio censenda est, fortius vero si futuram subscriptionem enunciaret. dec. 99. post Merlin. de pignor. dec. 264. post Zach. de obl. tam. dec. 154. p. 7. rec. Duran. dec. 368. Buratt. dec. 192. Adhuc tamen ex stylo mercatorum, vel pro negotii qualitate sufficiens esse solet, si scripta sit manu illius, contra quem deducatur, vel alterius, qui ejus vicem habeat, puta inter mercatores, ubi sit complementarii, vel alterius ministri, qui sit negotio præpositus, dum in hoc (ut dictum est,) consuetudini scribentium, & qualitatib[us] negotiorum est deferendum proximè supra.

Ad evitandam itaque præfatam certam juris regulam generalem, quæ in qualcumque scriptura procedit; Etiam si literis missivis seu de epistolis familiaribus agatur, quoniam ista quoque contra scribentem probant, quoties directa sunt illi, qui ad suæ actionis vel exceptionis probationem eis utatur. Buratt. & add. dec. 143. & 192. dec. 227. p. 5. rec. dec. 57. p. 8. 282. p. 11. & fapns. Quinimò, ut supra in confessionis rubrica advertitur, supra disc. 23. (cum aliqua quidem exorbitantia) admitti solent etiam epistolæ con-

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

scriptæ tertio, tanquam confessiones extrajudiciales, parte absente.

Solent debitores, vel alii, contra quos hujusmodi scripturæ deducantur, dupliciter adversus eas excipere; Vel negando earum veritatem de

facto, quod scilicet ab eis conscriptæ, vel subscriptæ non sint; Vel admittingo dictam veritatem de facto, negando tamen efficaciam, seu ve-

ritatem de jure, ex defectu pariter facti, seu consensus; Puta quando præsertim accedit sola subscriptio, quia scriptura corpus aliena manu cōse-

ctum sit, quia nempe opponatur, quod esset subscriptio facta fiducialiter, in folio albo, quod mi-

nistro, vel fiduciario dari solet, ut eo oportuneatur, in gratiam subscriptentis, quando alias mora possit esse præjudiciale, juxta frequentem usum non solum privatorum, sed etiam Princi-

pum, qui hujusmodi folia cum subscriptionibus in albo eorum Oratoribus seu Vicariis, aliisque ministris tradere solent, ut pro negotiorum oportunitate utantur.

Quando itaque ista exceptio deducatur; Regula est quod hæc subscriptio non præjudicat, neque contra subscriptentem aliquam facit probationem, cum ita desit consensus; Verum difficultas est in præsupposito facti, cui ista juris regula innititur, an scilicet constet de hujusmodi qualitate subscriptionis factæ in albo, dum id non præsumitur, sed probandum est per eum, qui de hoc excipit, atque alias fundata est intentione illius, qui habet scripturam prose; Unde propterea intrat recepta propositio, de qua supra in rubrica Actoris & Rei, quod scilicet, quando Actor fundavit suam intentionem, in scriptura, vel in alio jure, quod sufficientem probationem redoleat, tunc si Reus prætendat illam elidere, cum aliqua exceptione, vel qualitate, in hoc efficitur Actor, ideoque probationis onere premitur; Atque super hac specie probationis, regula certa pariter statu non potest, cum ex personarum qualitate, vel consuetudine, pendeat probatio, & præsertim ex verisimilitudine, vel inversimilitudine, quæ nimium in hoc proposito attendenda venit.

Verum ubi ista probatio accederet, quod scilicet subscriptio facta esset in folio albo; Adhuc tamen scriptura probaret, quoties aliunde, constaret, quod ille, qui subscriptionem fecit, notitiam haberet eorum, quæ in folio albo scribenda erant; Unde propterea intrat quæstio, cuinam præsumptio assūtat, quæ onus probationis, juxta regularem naturam præsumptionis juris, in alteram partem transfundat, an scilicet præsumatur notitia in subscriptente, qui contrarium probare tenetur, vel è contra de tota ista materia subscriptionis in albo, ut supra, apud Prat. obser. 21. & tit. de credit. disc. 81.

Posita item eadem veritate scripturae de facto, excipi solet de defectu veritatis de jure nempe, quod vi, & meru, vel dolo, aut ex falso præsupposito, vel sub spe futura numerationis extorta sit; Id autem non percutit istam materiam probationis, sed alteram validitatis, vel effectuum exinde resultantium, quod generaliter cadit in omni alia specie probationis, etiam si per publica documenta, imo per confessionem facta sit,

Major itaque inspectio, in hac specie probationis per scripturam privatam cadit super veritatem de facto, quod scilicet debitore vel altero

negante illam esse talem, qualis per alteram partem assertur, illius recognitionem facere oporteat.

In hoc autem, loquendo de stylo Curiae Romanae, praesertim vero de illo Tribunalis Auditoris Cameræ, in quo tanquam Curiae magis ordinario iudice currentium negotiorum, & commercii, frequenter de hujusmodi quæstionibus agi solet; Ille, qui pro se habet scripturam privatam, eamque producat, pro fundamento sue actionis, vel exceptionis, adversus scribentem, istum in primis citari curat; ad recognoscendum ejus manum, si minus videndum pronunciari eam haberi pro recognita; Unde propterea; aut citatus comparet, & eam recognoscit tanquam a se scriptam, vel subscriptam, sed eam impugnat ex alio capite, & tunc, ista quæstio probationis est finita; Aut negat, & tunc onus est actoris, vel exhibentis illam aliunde justificare; Aut non comparet, adeo reputetur contumax, & pronuntiatur eam haberi pro recognita, unde propterea proceditur ad ulteriora, pro ejus exequitione, vel observantia, quod etiam in aliis Tribunalibus inferioribus, puta Vicarii, vel Gubernatoris practicatur. *Ridolfin. in praxi p. 1. c. 2. n. 209.* *Franch. dec. 502. Rovit. pragm. 63. de off. procur. Ces. Bich. dec. 501.*

30 Rota vero non servat hunc stylum, quoniam non admittit hujusmodi fictas, & contumaciales probations, sed verificantur solum duo superius distincti casus; Et per consequens (generaliter loquendo,) certa regula defuper statui non potest, quibuscumque locis, vel casibus applicabilis, sed procedendum est, cum Tribunalium seu locorum stylis, aut legibus, quibus cessantibus, adeo procedendum sit cum regulis juris communis, onus est illius, qui scripturam exhibet pro fundamento intentionis, illam justificare talem qualem assertit, juxta generalem positionem de qua supra *disc. 2.*

32 Dicitus vero stylus Auditoris Cameræ, procedit in scripturis privatis, quæ concernant actus inter vivos, super quibus, etiam cum scribentis jam defuncti herede ille servatur, unde propterea in praxi disputari solet inter causæ patronos, magis quam cum Advocatis, an haeres teneatur necne recognoscere, quia nempe ob ejus qualitatem, iustam habeat causam dicendi, se non habere notam manum defuncti (cujus tamen contrarium in praxi regulariter presumitur,) ac propterea quod non teneatur recognoscere; Idque ex facti qualitate, & circumstantiis pendet, idque pariter certam regulam non recipit. *Ridolfin. qui alios refert plures.*

33 Secus autem ubi agatur de illis scripturis privatis, quæ contineant actus per ultimam voluntatem; Ut pro Curiae praxi, frequenter contingit in testamentis Cardinalium, & aliorum habentium induita testandi, etiam per schedulam privatam propria manu scriptam, vel subscriptam, quamvis nullo teste munitam; Ac etiam verificari solet in testamentis, ad causas pias, vel patris inter libros. *titul. de testament. discurs. 6. & seqq.*

Isto etenim casu, recognitio fieri solet (ut infra,) nemine citato, cum ita expedit non provocare contradictores, curando obtinere immisionem in possessionem bonorum, in forma non contentiousa, cum solita clausula præservativa juris tertii, ut infra in sede judicii possessorii ad-

vertitur, ibique videndum est. *infra in eo disc. in quo de judiciis possessorii agitur.*

Præsupposita vero necessitate recognitionis, super illius modo, DD. nimium certant, ac se involvunt, adeo ut octo modos aliqui Moderni. *Gait. de cred. cap. 2. tit. 8. ex numer. 2600. Genu. de script. priv. lib. 1. quest. 1. referant seu observent;* Atque super singulis quæstiones cadunt, an & quando recognitio, bene, & sufficienter facta sit, necne, adeo ut nimiam prolixitatem, ac fastidiosam digressionem redoleret, omnium hujusmodi specierum, necnon quæstionum, quæ super earum singulis cadunt, enumerationem reaflumere; Potissimum cum iste videatur inanis labor viro forensi incongruus, cum singulorum Tribunalium, vel locorum stylis deferendum sit, illique nimium variis esse soleant ideoque non de facilis materia remanet capax regulæ certa & generalis; Quinimò in eodem Tribunali, eodemque stilo præsupposito, adhuc iste, pro facti qualitate & circumstantiis diversus esse solet, ut infra.

Agendo itaque de stylo Curiae Romane; Quamvis in puncto juris communis, probabilius, magisque recepta sit distinctione, inter illæ scripturas, in quibus testes adhiberi solent; Ut sunt apocœ, vel antapocœ, aliæq; conventiones quæ alicubi alberana, & alicubi capitulationes, alicubi vero chirographa dici solent; Et illas, in quibus, pro earum natura, vel communi usu testes non solent adhiberi, ut (ex. gr.) sunt epistole familiares, seu literæ missive, sive literæ cambii, aut literæ certioratoria, vulgo de avis, sive banci, aut illæ parvæ schedulae, quæ inter mercatores & negotiantes pro facilitiore commercio sunt in usu, atque vulgo paghero nuncupantur, & similes, pro locorum, ac regionum moribus; Ut scilicet in hac secunda specie admittatur recognitio per testes habentes notam manum, sive per comparationem cum aliis scripturis certis; Secus autem in prima specie, ut tunc recognitio præcisè fieri debeat per testes, qui viderint scribere. *Buratt. dec. 292. 611. 624. 886. & 905. dec. 199. par. 5. rec. Gregor. & add. dec. 139. Cavalier. dec. 452. Gait. ubi supra.*

Attamen in Curia, de stylo, indistinctè receptum est, quod admittatur recognitio per testes habentes notam manum, sive per comparationem, aut per utramque speciem conjunctim pro facti qualitate, seu rei gravitate. *tit. de testam. disc. 6. ubi concordantes, & apud allegatus proximè supra.* Adeo ut quamvis revera, inspecta origine, iste stylus prodierit in scripturis cōcernentibus actus inter vivos, pro libertate, ac facilitate commercii; Attamen (forte parum commendabiliter) receptum quoque est in scripturis privatis in quibus contineantur testamenta ut supra, ibidem proxime.

Eodem tamen stylo attento, ex judicio Rotæ, ista species recognitionis, non reputatur probatio concludens, & plena, sed solum semiplena, aut aliquid plus, quæ indigent alii administriculis, majoribus vel minoribus pro facti qualitate. *dicto disc. 6. & in alio dicto tit. de testament.* Verum de isto administriculorum fomento potius in materia ultimarum voluntatum, disputari solet, quam in illa inter vivos, & præsertim in magis sumario, & exequitivo Tribunali Auditoris Cameræ, in quo est in usu dicta species recognitionis per testes

testes habentes notam manum, eaque sufficiens reputari solet.

³⁹ Adhuc tamen, omnino certa regula generalis statui non potest, cum totum pendere videatur ex facti qualitate, & circumstantiis, præsertim ex gravitate materiæ, & ex argumentis, vel suspicionebus, que urgeant, necne.

⁴⁰ Atque hinc manat etiam determinatio quæstionis, quæ disputari solet, præsertim vero in Rota (quæ magis circumspectæ in materia procedit,) super modo faciendi hanc recognitionem per testes habentes notam manum, an scilicet eam facere debeant per partes, sive (ut vulgo dicitur) per senestellas, ut in criminalibus fieri solet. *Vermigliol. conf. 34. Postb. de manut. obser. 98.* Sive inter plures, quarum aliquæ sint veræ, aliquæ autem imitatae, quandoque judicialiter, & quandoque extrajudicialiter ad animi informationem; Ac etiam pro gravitate materiæ vel pro suspicionibus, que urgeant ut supra, solet procedi ad alteram recognitionem per comparationem, adhibendo etiam peritos in arte, qui bene distingue solent scripturas veras ab imitatis, cum observationibus, quas ipsi habent, juxta regulas artis. *juxta casum de quo dicto tit. de testamen. decif. 6. & dec. 336. in principio par. 13. rec.*

⁴¹ Ita tamen, ut fiat cum scripturis veris, quæ proximæ sint illi, de qua agitur, dum scribendi modus, seu character cum tempore variari solet, atque non ita scribat juvenis, sicut senex, vel infirmus, sicut validus. *Franch. dec. 95. ubi Viscont. & alibi add. Genua de script. priv. l. 1. quest. 6. add. ad Vestr. lib. 6. c. 1. n. 26.*

⁴² Item, super facilitiori, vel difficiliiori modo recognoscendi, nimium attenditur, an scriptura sit antiqua, vel moderna, quoniam in antiquis facilius proceditur; Atque ubi antiquitas sit magna ultra centum annos, non indiget recognitione; Dummodo accedat observantia, quæ illi robur tribuit, cum sine observantia solus lapsus temporis non videatur considerabilis. *Gregor. & add. decif. 3. Genua de script. privat. lib. 1. quæst. 4. Buratt. decif. 926.* Et in summa facti potius, quam juris quæstio est, certam non recipiens regulam cuiuscumque casui applicabilem, cum ex prudenti, beneque regulato Judicis arbitrio pro facti qualitate decifio regulanda sit, eo modo quo generaliter in administrativis, ac arbitriis habetur.

⁴³ Posita vero recognitione sufficienti contra ipsum principalem scribentem; Quæstiones quoque cadunt, super retrotractione in præjudicium tertii; Atque super hoc intrant eadem, quæ supra in prima inspectione dicta sunt, an scilicet, recognitio pendaat à solo facto debitoris vero vel contumaciali, vel potius à testibus, super nota manu, vel ab iis qui viderint scribere, ut in primo, & secundo casu, retrotractio non detur, bene autem in tertio, dum ita testes deponentes de ipso actu scripture, tempus quoque implieant. *Gait. de cred. cap. 2. tit. 8. ex num. 3194. Salgad. in labyrinth. par. 2. cap. 21. n. 27. & par. 3. cap. 13. nu. 15.*

⁴⁴ Quando autem apochæ, vel literæ carbii, aliæve scripturæ privatæ, processum exequitivum mereantur, ac de aliis ad rem, habetur infra in singulis judiciis, & præsertim in illo, in quo de judicio vel processu exequitivo agitur in actione personali; Ubi præsertim habetur quam actionem vel obligationem producant literæ cer-

tioratoræ, nuncupatae de ariso, vel illæ quæ continet mandatum, seu commissionem.

Et de literis laudatibus, vel approbatibus, habetur in sede debiti, & crediti. *tit. de credito disc. 90.* ubi etiam de apochis operatoriis, vel affecuratiōnēs, cum similibus. *cod. tit. disc. 106. & seqq.*

Scriptura autem memoriaræ causæ non probat ⁴⁵ contra scribentem, eo modo quo disc. sequ. de libris dicitur. *Buratt. & add. decif. 282. & 666. Serap. decif. 373.*

Item scriptura speciem in jure habere, plerique potant sigillum, vel typum quasi quod, idem ⁴⁷ si subscriptere propria manu, vel charactere, ad approbationem eorum, quæ in scriptura continentur, atque eandem scripturam, cum proprio sigillo, vel consueto typo munire. *Thes. jun. lib. 2. quest. 100. Rovit. pragm. 9. de feud. & pragm. 1. de fide memorial. Vestr. & add. lib. 6. cap. 1. Franch. March. decif. 190. & seqq.* Verum periculorum est cum hac generalitate in præxi procedere, atque doctrinas de hac specie probationis loquentes, cuicumque casui applicare, cum totum pendere videatur ex singulorum casuum circumstantiis, præsertim vero ex usu, capiendo scilicet sigillum, vel typum, non pro eo sigillo, quod pro communi usu retinent homines cum impreffione proprii stemmatis publicè expositum in tabula scribendi commoditati destinatum; Sed pro illo sigillo, vel typo, qui caute penes se ipsum, vel penes fiduciarium ministerium retineatur ad hunc effectum, ut pro minori incommodo sit loco subscriptionis, juxta aliquorum Regum, & Principum, vel supremorum Magistratum consuetudinem adhibendi subscriptionem cum illo typo cui stampa, vel stampiglia terminus datur, ut præsertim Regis Hispaniarum, ejusque Proregum & Vicariorum est consuetudo, quam tamen Pontifex adhuc non habuit.

De probatione per libros.

SVMMA RIVM.

- ¹ **Q**uod materia sit frequens, & quare videatur involuta, cum non sit.
- ² De distinctione generali inter libros publicos & privatos.
- ³ Exemplificatur qui sint libri publici.
- ⁴ Et qui sint privati.
- ⁵ Exemplificantur libri publici, & isti indefinitè probant.
- ⁶ In specie de libro Datarii, vel de libris Camerae super feudis.
- ⁷ Et de libro matrimoniorum Parochi, & circa quæ deferratur.
- ⁸ De eodem libro baptismatum, & quid probet, & quod non probet filiationem.
- ⁹ Et in specie de probatione etatis.
- ¹⁰ De libro montis pietatis Vrbis.
- ¹¹ De libris gabellarum, & dohanarum.
- ¹² De illis libris informibus, quibus memorialium non convenit, illique neque probant contra scribentem.
- ¹³ Qui propriè dicuntur libri formales, seu legales, & qui memorialia.
- ¹⁴ An & quos libros teneatur quis edere colliganti, & quomodo editio fieri debeat.
- ¹⁵ Quomodo iudices in hoc se gerere debeant.